



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hyperdvlia Mariana

**Berchmans, Johannes
Canisius, Jacobus**

München, 1636

XV. Hyperduliae species, In Angelicam salutationem etiam scripto
commentari.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55266](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55266)

ambulans, animo sic in res quas medita-
batur defixo, ut à latere prætereun-
tes, à quibus salutabatur, non adverte-
ret.

§. II.

Premium Hyperdulie.

Recitati nempe toties, tamque fre-
quenter, pieque usurpati Rosarij, fuit,
quòd ex animo iam corpori ipsius
Berchmanni, plurima piorum hominũ
Rosaria fuerint admota, quæ sacrarum
instar reliquiarum religiosissime asser-
uantur.

Cepar. pag. 211.

X V.

HYPERDULIÆ SPECIES.

In Angelicam Salutatio-
nem etiam scripto com-
mentari.

§. I.

COepit IESVS facere & docere: Sic
& Berchmannus quæ fecit, etiam
H 5 alios

alios calamo docuit. Itaque modum recitandæ salutationis Angelicæ ex secundo modo orandi, S. P. N. Ignatij Loiolæ scripsit, eumque in septem omnino partes hæc tribuit.

Prima pars.

Ave M A R I A.

Primò adora Mariam, quæ interpretatur Stella Maris; nam polare veluti sidus, periculofam vitæ huius navigationem, si attentè inspicias dirigit ad æternæ vitæ portum. Illuminatrix; nam virtutum suarum exemplo solis instar ad bene operandum prælucet. Dominæ, cuius in superna curia auctoritas est maxima. Secundò, dole quia naufragus in hoc mari, sideris huius dictum non quæris; secundò quia in tenebris ignorantiaæ merfus, Illuminatricis huius radios non optas; tertio quia indigens alieno patrocinio supremum huius Reginae

cui

*Virg. Cepar. & Herman Hug. in
eius Vita pag. 279. & seq.*

eui nec facultas, nec scientia, nec voluntas tibi auxiliandi deest, patrocinium non desideras; quartò spera ab hac Domina auxilium ad expugnandos hostes spirituales; ab hac Illuminatrice lucem ad te, Deumque cognoscendum; ab hac Stella Maris cursum securum ad portum salutis; quintò, gratias age Deo, & B. Virgini pro his beneficijs, Mariæ nomine comprehensis; sextò pete à Deo, vt velit te duci ab hac stella totius Mundi, illuminari ab hac Illuminatrice totius Mundi, regi ab hac Domina totius Mundi.

Secunda pars.

Gratia plena.

Primò adora B. Virginem, & in illa diuinæ gratiæ plenitudinem, cuius intellectus fidei lumine; voluntas, Charitatis ardore; memoria, diuinorum beneficiorum recordatione; concupiscibilis temperantiâ; irascibilis, quiete maximâ; oculi,

culi, simplicitate columbina; aures, attentione ad Dei vocem; lingua, moderato sermone, gustatus sobrietate; tactus pudicitia; pedes diligentia; manus bonis operibus; conuersatio, virtutum exemplis, & omnia denique plena sunt virtutibus, & donis spiritus sancti. Secundò, dole paupertatem tuam, qui gratiam, vel reiecis, vel permittis otari, quam ob causam miseris plenus, & totus inanis gratia. Tertio, spera MARIAM precibus, eam tibi, quæ decet, gratia plenitudinem esse concedendam. Quarto, gratias age Deo, qui MARIAM, tanquam vas caelesti plenum rore, exposuit, ut inde gratiam omnes haurirent. Quintò, pete à B. Virgine caelestis huius roris guttam, ut gratus, & amicus Deo sis, stabilis & ditior in dies, post acceptam gratiam.

Tertia pars:

Dominus tecum.

Primò adora B. Virginem, quia Deo maximè est vnita; corpore, in Incarnatione;

gione; spiritu, in intellectu rerum diuinarum cognitione illustrato; voluntate, DEO maxime conformi. Secundo, dolo, quia Dominus à te, vel lethali culpâ ereptus, tecum non fuit semper, vel quia à lethali culpa immunis, Dominū (eius gratiâ cuncta faciens) præsentem non habueris, Tertio, spera per B. Virginem quæ proxima DEO est, summam cum cum ipso vnionem. Quarto, gratias age B. Virgini, quod DEVM à nobis maxime remotum ad nos attraxit. Quinto, pete, vt te absolutè charitatis glutine, DEO vniat, eius sequendo voluntatem.

Quarta pars.

Benedicta tu in Mulieribus.

Primò, adora B. Virginem benedictam primò, in sanctis cogitationibus cordis; secundo, in pijs linguæ verbis; tertio, in operibus ad diuinæ legis regulam consummatis; quarto in animi demissione; quinto, in partu Redemptoris, à quo omnis benedictio in genus humanum deriuata, quibus benedictionibus

bus Euxæ maledictiones destruxit, quæ
 præcesserunt primò in eius cogitatâ de-
 fectione; secundò, vocibus ad dæmo-
 nem prolaris; tertio operibus diuini
 præcepto contrarijs; quartò, superbia
 DEO resistente; quintò, peccato ad
 posteros transmissio. Secundò, doleor
 eas, in quibus natus es, maledictio-
 nes; Primò spirituales, scilicet intelli-
 gentiam exæcatam, voluntatem dis-
 stortam, appetitiones effrenas, sensus
 deprauatos; Secundò, corporales, scilicet
 licet morbos, egestatem, mortem. Ter-
 tiò, spera te omnem à Deo benedictio-
 nem per B. Virginem impetraturum
 Quartò, gratias age, quòd in nos
 DEO per B. Virginem, tanquam à ca-
 pite per collum in corpus multæ ben-
 dictiones transfundantur. Quintò, pe-
 te à B. Virgine, vt ab eius filio iud-
 candus, audias cum electis: Ve-
 nite benedicti &c.

Quinta

Quinta pars;

Et benedictus fructus Ventris tui

I E S V S.

Primò, adora B. Virginem, quæ arbor est vitæ, & Christum IESVM, arboris huius fructum, qui vita nostra est. Secundò, dole, quia animæ tuæ gustari non est suavis fructus hic suavissimus, & dulciores tibi sunt terrenæ voluptates, quàm celestè hoc nectar. Tertiò, spera à B. Virgine animæ tuæ fecunditatem, & à fructu ventris eius fructus vitæ æternæ. Quartò, gratias age, B. Virgini quæ vera terra promissionis est, lacte & melle manans pro fructu nobis producto. Quintò, pete fructum spiritualium copiam, & feracitatem longè maiorem.

Sexta pars.

Sancta MARIA, Mater Dei.

Primò adora in B. Virgine supernam hanc diuinæ Matris dignitatem. Secundò pudeat te vililitatis tuæ coram hac suprema reginâ. Tertiò, spera B. Virginem,

ginem, quæ Deum efficit fratrem nostrum, te in filium accepturam. Quarto, gratias age B. Virgini, quia peperit nobis Redemptorem, & quia personam humanam ad infinitam diuinæ Matris dignitatem euexit. Quintò, pete à B. Virgine DEI Matre, vt te diuinæ voluntati obsequentem reddendo, Filij sui quodammodo Matrem faciat, dicente Domino: *Quicumque fecerit voluntatem patris mei, qui in calis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.*

Septima pars.

Ora pro nobis peccatoribus &c.

Primò, adora B. Virginem, quia Patrona nostra est, quia Dei, hominumque conciliatrix, quia diuinorum beneficiorum impetratrix. Secundò, dole quia ex tantæ Reginae patrocínio nullum tuam culpâ auxilium, vtilitatémque deriuas. Tertiò, spera, te à DEO impetraturum, quidquid B. Virgine causam tuam agente, à Deo petieris. Quartò, gratias age B. Virgini, pro diligenti cura, qua nos

nos protegit. Quintò, pete à B. Virgine MARIA, vt velit in suâ clientelâ esse status omnes Ecclesiasticos & Laicos, viuos & defunctos, affines, benefactores, persecutores, denique eos omnes, qui nostras exquirunt preces. Secundò pete, vt impetret nobis nostrorum errorum veniam à DEO; Tertiò, diuinæ voluntati omnium hominum voluntates obsequentes reddat. Quartò, vt vitæ extremo tempore præsens esse velit.

§. I I.

Premium Hyperdulia.

Fuit à B. Virgine promissum Eccles. 24. q. 31. Qui elucidant me vitam æternam habebunt. Quæ verba sanctis à Patrib. ac Doctorib. B. Virgini attribuantur. Itaque cum Berchmannus Angelicam salutationem B. MARIAE propriam elucidarit, promissum sui laboris præmium haud dubiè accepit. Neque enim mentiri Veritatis Mater potest.

Vid. Pet. Ant. Spinell. Thron.

XVI.